

I. *Observationes nonnullæ Planetarum Primariorum, ac speciatim Stellæ cujusdam fixæ corporis Jovis interpositu occultatæ; a R. D. Jacobo Pound, R. S. Soc. nuper habitæ, & ab eodem cum Regia Societate communicatæ.*

A Bsq̄ue Observationibus accurate institutis, irritò sane conamine veræ motuum Cœlestium Theoriæ Calculusque cælo conformis expeterentur. Quod autem tam diu latuerit Veritas Astronomica ex eo factum est, quod Veteres Artifices, & imprimis *Ptolemaus*, nulla omnino nobis tradiderint Observata, præter ea quibus ad stabiliendas Hypotheses Tabulasque suas Principiis usi sunt: Cum tamen multo magis ex re fuisset *Timocharidis*, *Aristilli*, *Hipparchi* suasque *Ptolemai* ipsius *τηρῆς* debitâ fide ad nos transmisisse, & numerorum suorum à Cælo dissensus ingenuè annotasse (ad exemplum magni *Hippocratis*, cui minime pudori fuit sub curâ suâ mortuos æque ac sanitati restitutos Posteritati consignasse) potius quam vanâ quâdam gloriolæ specie, Sphalmata sua sibi ipsis perspecta tacuisse; celatis sc. Observationibus iis quibus Tabulas suas male respondentem experti sunt. Hoc autem ante *Tychonem Brahe* omnium pene gentium Astronomis commune vitium.

Ex quo autem à sagacissimo *Keplero* adinventâ est genuina motûs planetarii Theoria, ejusdemque etiam Geometrica veritas à *Newtono* magno nuper patefacta, nonnullos ingens incessit cupido calculum Astronomicum Cælo omnino consentaneum exhiberi posse; & in eum finem, præter Observatores Principum, Privati etiam plurimi apud nos observandis Sideribus inhiant: Horum autem nemini arte vel industriâ secundus Rever. *D. Jacobus Pound*, Reg. Soc. Socius, Observationes sequentes

sequentes à se nuper apud *Wansted* habitas, Tubisque longissimis & Micrometro quantum fieri potuit accuratè captas, cum publico communicandas obtulit.

Anno 1715. *Augusti* 21°. 8^h. 25¹/₂. Temp. æq. *Mars* præcedebat, scil. Ascensione rectâ, Mediam frontis *Scorpii* (*Bayero* δ) 6'. 54" Borealior Fixâ 9'. 47".

Sept. 18°. 7^h. 30'. *Mars* præcedebat *Claram* in pede *Serpentarii* (*Bayero* θ) 17'. 48". & eandem habuit Declinationem accuratè.

Novemb. 30. 18^a. 8'. *Saturnus* præcedebat γ, five secundam Alæ *Virginis* 23'. 19" & erat Fixâ Australior 25'. 3". *Decembris* autem 4^o 17^h. 25'. præcedebat eam 10'. 50" & Australior erat 29'. 00".

Anno autem 1716. *Feb.* 22°. 7^h. 23' T. æq. *Mars* præcedebat ζ *Piscium*, five Sequentem trium clariorum in Lino *Aust.* *Piscium* 3'. 35". eâdemque Australior erat 1'. 23", quam proinde obregere debuit ante bihorium, forsan corporaliter.

Junii 22°. 8^h. 52'. T. æq. *Venus* sequebatur Cor *Leonis* 34'. 50", & fixâ Australior erat 7'. 23".

Aug. 14°. 15^h. 00'. *Jupiter* præcedebat *Propoda* uno tantum minuto, cum Declinatione Bor. minore 14'. 26".

Aug. 19°. 13^h. 2' *Jupiter* præcedebat fixam *Telescopicam*, quæ vocetur *b*, 50', 08" eandem habens Declinationem accuratè.

Aug. 24°. 12^h. 19' *Jupiter* Micrometro distabat a prædictâ *b*, 5'. 54", simulque ab aliâ Fixâ clariore *a* 7'. 17". Distantia fixarum 12'. 31". Tunc minor *Jovis* diameter 0'. 38"

Sept. 12°. 17^h. 00' *Venus* recens a Statione secunda sequebatur *Telescopicam* 17'. 40", eâque Australior erat 5'. 30". Hæc autem Fixa tunc occupavit Ω 27°. 44¹/₂ cum Lat. *Aust.* 5°. 39.

Octob. 15°. 17^h. 12¹/₂ *Venus* distabat Microm. a Fixâ τ in *Crure Leonis* 27'. 55".

Novemb.

Novemb. 20°. 6h. 18^h. *Jupiter* regressus est ad stellas *a* & *b*, ad quas observatus est *Aug.* 24°. & distabat à *b* 6'. 21", ab *a* vero 11'. 36".

Novemb. 21. 7^h. 38', *Jupiter* distabat à *b* 9'. 19", & ab *a* 3'. 48". Fixæ inter se 12'. 30". *Jovis* diameter minor sive Axis 0'. 44". Deinde hora 18^h. 50'. visa est stella *a* limbo *Jovis* quasi adhærere, eratque quasi $\frac{1}{2}$ semidiametri vel 0'. 15". centro *Jovis* Borealior. Juxta has autem observationes constat medium Occultationis Fixæ, interposito *Jovis* corpore, contigisse *Nov.* 21°. 19'. 55". vel proximè. Deinde

<i>Nov.</i> 30. 5 ^h . 41' π .	præced. <i>Propoda</i>	12'. 36"	<i>Australior</i>	7'. 36"
<i>Dec.</i> 4. 6. 0 π .	Sequeb. eam	22. 49	—————	7. 47
<i>Dec.</i> 5. 6. 0	Repet. —————	31. 35	—————	7. 50
<i>Dec.</i> 6. 6. 0	Repet. —————	40. 30	—————	7. 52
<i>Dec.</i> 7. 6. 0	Iterum —————	49. 15	—————	7. 54

Ex his ultimis Observationibus liquet *Jovem* & *Propoda* eandem habuisse Longitudinem *Dec.* 1°. 15^h. 29', quo tempore *Jupiter* Australior erat stella 7' 40'. Ex iisdem etiam constabit *Jovem* in opposito Solis fuisse, quoad Longitudinem. *Dec.* 6°. 12^h 46'.

N. B. Stellæ illas Telescopicas *a* & *b* vocatas, haberi in Catalogo Fixarum Britannico *D. Flamsteedii*, ubi ipsi *a* Locus datur, ad annum Scil. 1690 ineuntem, π 27°. 54'. 29" cum Lat. Aust. 0 21'. 55"; alteri vero *b* π 28°. 5'. 24" cum Lat. Aust. 28'. 5". Neque aliam novimus Fixam à corpore *Jovis* occultatam & ab invento Telescopio observatam, præter jam dictam Stellam *a*; ad quam olim arctissime applicabatur *Jupiter*, ante annos 83. *Decembris* nono St. nov. Anni 1632. Vesp. cum *Gassendus* *Dinia* vidit *Jovem* huic Fixæ conjunctum, nec nisi quinque semidiametris corporis sui superiorem. Unde calculo debitè inito, constabit Nodos hujus Planete Planumque Orbis ejus, situm in Sphæra Fixarum servare immobilem, vel saltem lentissimo motu cieri. Vide *Gassendi* *Observ.* Tom IV. p. 162.